

Johann Quistorp Johannes Rieder

## **Disputatio Theologica De Peccato**

Rostochii: Kilius, 1644

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn738029513>**

Druck Freier  Zugang



Vert. J. Rieder

F. Quistorp/a  
R. U. theol. 1694.





DISPUTATIO THEO-  
LOGICA  
De  
**PECCATO**

Quam  
D. T. O. M. A.

Consensu venerandæ Facultatis  
Theologicæ,  
SUB PRÆSIDIO

*Plurimum Reverendi, Clarissimi & Excel-  
lentissimi VIRI*

DN. JOHANNIS QUISTORPII,  
SS. Theol. D. & Profess. celeberrimi, ejusdemq;  
Facultatis Senioris venerandi, Dn. Præceptoris,  
Promotoris & Fautoris sui ætatem  
colendi,

*Publico Eruditorum examini*

*subjicit*

JOHANNES Rieder / Svinfurto-  
Francus.

*Habebitur in Auditorio Majori 13. Jan.  
horis matutinis.*

☉(O)☉

ROSTOCHII.

Literis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.  
ANNO M. DC. XLIV.



VIRIS

Amplissimo, Plurimum Reverendū, Clarissimū,  
DN. JONÆ WEHNERO, Liberae Imperial. Civitatis, Svinfurti  
Consuli emerito &c:

DN. M. JOHANNI Ruffner/ P. & Superint. Gymnasiiq; Directori  
vigilantissimo.

DN. M. ANDREÆ Pruckner/ Diac. & Gymn. Prof. P.

DN. M. WILHELMO Barger / Schola & Gymn. Restori fidelissimo.

DN. M. JOHANNI Seyfried/ Conrectori dignissimo, Affini Charissimo.

Gratiam & pacem à Domino Jesu Christo!

**Q**uoties vestrorum, Patroni maximi, ubertim in me col-  
latorum beneficiorum cumulos memori mente (quod sepiissime  
fit) repeto, exhorresco totus, cum videlicet illis dignum satis red-  
hostimentum non inveniam usq;. Tantis enim, totq;, Vir Am-  
plissimo, me in patria adhuc viventem affecisti bonū, jamq; in Academiā afficere  
perseveras, ut singula enumeraturum, dignaq; gratiarum actione, compensa-  
turum, non solum dies & pagina deficeret, sed & omnis facultas id prestan-  
di destitueret. Vos verd. Viri Plur. Rever. vosq; Clarissimi, illi estis, quibus τιμή  
ἰσοπποῦ & ἐν αἰ γένοιο, ἀλλ' ἵσως ἰσχυρόν, ὡς περ πρὸς θεοῦ καὶ πρὸς  
παιδῶν, & ἐν δὲ ἰσχυροῦν. Vos enim nullum unquam fidelium Praceptorum  
officium omisistis, nulli labori paristis, sed potius omnem movistis lapidē, ut  
mentem meam ad praeclara accenderetis, meq; artibus humanioribus informa-  
tum daretis. Quae & alia, ab pagina angustiam, hic omittenda, uti infinita  
sunt, ita infinitas gratias vobis omnibus & singulis debeo, nihilq; magis in votis  
habeo, quam ut illas referre possim. Ut autem publico quodam testimonio gra-  
titudinem & observantiam meam vobis declararem, dissertationem hanc ve-  
stri Nomini in scripti, muneriq; loco transmissi. Non quidem, quod istud  
tantum esse statuam, ut nominū vestri Amplitudini aut beneficiorum multi-  
tudini aequari possit, sed, cum nunc aliud nihil habeam, observantiam & stu-  
dium meum qualicumq; signo declarem. Accipite ergo id ē manibus, imo ex  
animo meo, & muneri levitatem optata vestra benevolentiae aurā sublevate,  
meq; favore vestro completi perseverate. DEUS & pater Domini nostri  
Jesu Christi vos & totam patriam diu sospitet, ab omni malo conservet, &  
tandem aeternum beat! Per scrib. Rostochij, Non. Jan. M. DC. XLIV.

JOHAN Nieder/ Autor  
& Respondens.



כְּשֵׁם הַשְּׁמַיִם



Uærentibus nobis, quid causæ, que  
 tam varijs ac gravibus malis, morti, mortisq; an-  
 teambulonibus morbis, subjecti simus, respon-  
 det Apostolus, per protoplastorum nostrorum  
 lapsum peccatum in mundum introivisse, &  
 mortem per peccatum; & hanc sic in omnes  
 homines pervasisse. Beati sanè eramus, qui ad imaginem DEI, h. e.  
 in summa perfectione, justitia & sanctitate vera, omniumq; natu-  
 ralium virium perfectione & integritate creati eramus! At ô infe-  
 lices, qui tanta amisimus bona! Ubi enim jam illa in intellectu Sa-  
 pientia? Ubi lux illa agnitionis DEI? deperdita est, extincta est; ita  
 quidem, ut naturalis homo non intelligat ea, quæ sunt Spiritus DEI.  
 ubi illa voluntatis nostræ cum lege DEI conformitas? amissa est, ita,  
 ut *φρόνημα τῆς σαρκός* inimicitia jam sit adversus DEUM. Ubi  
*ἀφάρθια* illa, in qua homo conditus erat à DEO? *εἰς φθορὰν* illam  
 abiisse, scriptura & huic *ὁμολήφ* testatur experientia. Ubi a-  
 micabile illud confortium, artificiosumq; inter DEUM & homines  
 amoris vinculum? disruptum est, ita, ut, qui antea dilecti DEI filij  
 eramus, jam naturà simus filij iræ.

Rom. 5, 12

1. Cor. 2, 14

Rom. 8, 7

Rom. 6, 23

Eph. 2, 3

Infelicissimi autem sumus & orco proximi, si extremam hanc  
 naturæ nostræ corruptionem, & miseriam illam ineffabilem, in  
 quam primi hominis peccato prolapsi sumus, non agnoscimus, aut  
 cum Spiritibus quibusdam erroneis nos illâ infectos prorsus nega-  
 mus. Utilem ergò navaverimus operam, si de hoc malo disserturi,  
 scripturam nos in omnem veritatem ducentem secuti, falsas illo-  
 rum sententias rejiciemus, & quod factum, agnosceremus: quod pro  
 ratione instituti quinque aphorismis expediemus, quorum.

APHORISMUS I

Peccatum est à divina lege aberratio, quâ  
 graviter DEUS offenditur, & æterni supplicij  
 reatus peccanti attrahitur.

Vocū  
peccati  
1. Ἐτυμο-  
λογία.

2. ὁμο-  
νομία.

3. συνωνυ-  
μία.

2. Joh. 3. 4.

Hebr. 10. 27

Joh. 8. 44.

[In hac definitione observandū est I. *Definitum*, quod est peccatū: cuius evolvenda 1. Ἐτυμολογία. Ubi Ciceroni parad. 3. peccare est tanquā lineas transilire. Specialiter autē apud Latinos veteres dicebatur peccatus ūs h. e. adulteriū, quasi dicas, pellicatus; ita ut peccatū per Synecdochē speciei pro genere sit cum pellice coire. Allusivē alij dicunt, peccatū, quasi pellicatum, vel potius pellicitū, eō quod homines pelliciat vel potius alliciat [ad malum.] Sunt etiam, quib⁹ vocabuli peccati à pecu derivatio placuit, quia peccare est ἀλόγως agere. Græcis ἀμαρτία est ab ἀμαρτάνειν, ex à στερητικῶ & verbo μάρτηω, capio, assequor; & sic propriē ἀμαρτία est assecutionis privatio. Non incommodē etiā dici posset, quod ἀμαρτάνω sit, quasi à μὴ ἀρτέω, quæ non aprō scil. ad normam legis divinæ. Hebræis usitatissimē & frequentissimē dicitur מְשֻׁבָּת & שְׁוָתָה à Rad. נָשָׂה aberravit, deviavit, deflexit, scil. à scopo & norma. 2. ὁμονομία Sumitur autem peccatum vel *abusivē*, & significat sacrificia pro peccato expiando destinata & oblata, uti passim in Levit. & Ose. 4. 8. peccata populi mei comedunt. h. e. Sacrificia; interprete Augustino: vel *propriē* & quidem (1.) pro reatu, ceu 2. Cor. 5, 21. DEUS Christum, qui non novit peccatum, pro nobis fecit peccatum, h. e. imposuit humeris illius peccatorum nostrorum sarcinam, Esa. 53, 4. (2.) pro actu vitioso, ut passim in sacris literis. 3. συνωνυμία, quæ peti potest ex B. Dn. Gerhard. loc. de peccat. origin. & actual. II. *Genus*, quod est aberratio. III. *Differentia*, quæ desumitur à forma, & est à lege [divinâ] aberratio. IV. *Finis*, quamvis autem peccati propriē nullus sit finis, tamen quodammodo dici potest ira DEI, & æterni supplicij reatus. Si verò finis spectetur à parte causæ remotæ Diaboli, est conatus insidiandi Filio DEI, nec non taliter peccantem secum abripiendi in æterna Gehennæ supplicia. Ex parte verò hominis peccatum designantis finis est, malignæ voluntatis expletio, nec non boni apparentis acquisitio. Causa peccati quæ sit, videbimus in seq.]

## APHORISMUS II.

### DEUS non est causa peccati.

[Elegantissima & notata dignissima sunt verba, quæ à Platone  
l. 2.

1. 2. de Rep. proferuntur: Ἀραβὸς ὅγε Θεὸς τῷ ὄντι, καὶ λεκτέον  
 ἔτα. Κακῶν δὲ αἰτιον Φάναί Θεόν τι γίνεσθαι, ἀραβὸν ὄντα,  
 διαμαχετιὸν παντὶ τρέπω, μήτε τινα ταῦτα λέγειν ἐν τῇ αὐτῆ  
 πόλει, εἰ μέλλει εὐνομήσασθαι, μήτε τινα ἀκρίειν, μήτε νεώτερον,  
 μήτε πρεσβύτερον, μήτε ἐν μέτρον, μήτε ἄνευ μέτρον μυθολογῆντα,  
 ὡς ἔθ' ὅσα αὖ λεγόμενα, εἰ λέγοιτο, ἔτε ζύμφορα ἡμῖν, ἔτε  
 ζύμφωνα αὐτῶν αὐτοῖς. Verba, inquam, elegantissima; quibus  
 etiam Ethnicus hominem societate indignum judicavit, sententi-  
 amq; illorum, qui, DEUM summè bonum alicui mali causam esse,  
 probarent aut pronuntiarent, omnino refellendam existimavit, &  
 ut fieret, præcepit. At quid quidam, Christiani nomen (falsò ta-  
 men) sibi vendicantes? Sanctissimum illi Numen peccati causam  
 & Autorem, etsi non aperte, tamen occultè, etsi non per se, tamen  
 per accidens, constituere non verentur. Ex quorum numero Cal-  
 vinus est, qui cùm protoplastorum nostrorum lapsus, tum actuali-  
 um peccatorum causam DEUM proclamat, & sic, dicente Basilio,  
 DEUM ipsum negat. De illo quidem dicit: *voluntate DEI in mise-*  
*riam decidisse omnes filios Adami, & decretum fuisse à DEO, ut sua de-*  
*fectione periret Adam.* Et post pauca: *unde factum est, inquit, ut tot*  
*gentes unà cum liberis earum infansibus aeterna morti involveret la-*  
*psus Ada, nisi quia DEO ita visum est?* De his verò ait: *homo justo*  
*DEI impulsu agit, quod sibi non licet.* Sic & Piscator in præfat. di-  
 sput. de prædestinat. p. 8. *sanctè, inquit, ad flagitia impellit DEUS, ut*  
*flagitiū flagitia puniat.* Et ad defendendam suam sententiam ob-  
 jiciunt I. inter alia de protoplastorum lapsu hunc in modum: *Quem*  
*DEUS fecit labilem, illum voluit peccare: atqui Adamum DEUS fe-*  
*cit labilem, E. voluit eum peccare:* quo argumento DEUM expressè  
 peccati autorem constitui, nemo non intelligit. Verùm manife-  
 stum est vitium in majore; Laborat enim vox *labilis* æquivocatione;  
 vel enim idem denotat, ac habere qualitates internas, ad peccatum  
 & lapsum inclinantes; vel idem est quod, posse labi, etiamsi quis  
 ejusmodi internis qualitatibus ad lapsum non inclinetur vel inci-  
 tetur. Quapropter respondemus ad illam limitando: *Quem DE-*  
*US fecit labilem, ita quidem, ut habeat internas & ad peccandum*  
*inclinantes qualitates, illū voluit labi, atqui &c:* Jam negatur minor.

lib. 3. Inst.  
 cap. 23. §. 4.  
 67,

lib. 1. Inst.  
 c. 18. §. 4.



Gen. 1. 7.  
als. Rom.  
f. 12.

Non enim DEUS hominem ita labilem creavit, ut ab internis ad peccandū qualitibus inclinaretur vel incitaretur; aliās sanē non fuisse valdē bonus, seu in suo genere optimus; quod repugnaret scripturæ sacræ: falsumq; esset, quod Paulus dicit; per unum hominem peccatum in mundum intrasse, nosq; omnes in illo peccasse; sed DEUS etiam, non solum in societatem istius peccati traheretur, verum etiam primaria ejus causa constitueretur: quod est ἀπονομιαν. Sed ita labilem DEUS fecit hominem, ut ab istiusmodi qualitibus ad peccandum inclinantibus profus immunis esset; viresq; addidit, per quas voluntas Adami determinata fuit ad bonum, & proinde inclinata ad bonas actiones; & quarum auxilio, si vellet, posset non labi. Causa autem, ab quam DEUS hominem creavit talem, non est, ut laberetur, sed ut Creatorem suum libero cultu, honore & obedientiā prosequeretur, viresq; suas divinitus acceptas exerceat. Quam etiam causam Lutherus adfert, quando super 3. Gen. ait: *Responsio ad omnia hujusmodi argumenta hac una esse debet, quod Domino sic placuit, ut periclitaretur Adam, & exerce- ret suas vires; Sicut & hodie, cum baptizati & in regnum Christi translati sumus, D E U S non vult nos otiosos, sed vult exerceri dona sua, idē permittit, nos infirmos à Satana cribrari.* II. Etiam actualium peccatorum causam DEUM constituunt hoc argumento: Quicumq; Pharaonem (α) induravit, & (β) in hoc ipsum eum excitavit &c. ille est causa peccati: atqui DEUS Pharaonem induravit, Exod. 4, 21. & in hoc ipsum eum excitavit, Exod. 9. 16. E. est causa peccati. Sed respondemus ad (α) seu primum membrum I. limit: Q. Pharaonem, ut causa proxima impellens & efficiens, induravit, ille est causa peccati: atqui &c. jam negatur minor. DEUS enim hoc modo indurat neminem: Quamvis induret (1) *negativè*, gratiam, quam sprevit impius, non impertiendo. (2) *privativè*, antè concessam cordis molliem ab improbo, propter antegressa enormia peccata, auferendo. (3) *permissivè*, hominem Satanæ potestati, suisq; propriis carnalibus cupiditatibus, & propriæ duritiæ relin-  
quendo, tradendo: Minimè tamen *efficaciter*, pugnaret enim hoc cum DEI justitia, in verbo revelata, ceu patet ex dictis, Psal. 5, 5. Jac. 1, 13, 14. Sir. 15, 11, 12, 13. Si enim efficaciter duritiem, cœcitatē & per-

3. Theff. 2,  
10, 11.

perversitatem in impiis crearet & in eos immitteret, tum maxime propriè dicendus esset DEUS causa efficiens principalis istius duritiei, cæcitatè, perversitatis & erroris; quæ sanè effecta ab immutabili DEI justitia proficisci non possunt. II. Patet ergo inde fallacia phrasæ, quam nisi detegeremus, sed in propria verbi *indurare* significatione acquiesceremus, dicere sanè nihil aliud possemus, quàm DEUM, tanquam causam principalem, creasse hanc in corde Pharaonis duritiem ac malitiam: Et hac ratione DEUM causam & Autorem istius malitiæ statueremus; quod sanè, ut superius dictum, cum immotà & essentiali DEI justitia & bonitate consistere nullatenus posset. Necessariò igitur, scripturæ ductum & sanum sensum secuti, dicimus, quod DEUS hinc non propriè, sed impropriè cor Pharaonis indurasse dicatur. Ita ut, ego indurabo cor Pharaonis, sit, ego Pharaonem in illa cordis sui duritie, quam à mundo habet, relinquam; In qua relictus, aliter non poterat, quàm in illà suà malitia persistere, ac proinde seipsum indies magis magisque indurare. Et confirmatur hæc explicatio 1. ex consensu scripturæ, Exod. 8, v. 32. & vers. 19. affirmantis, Pharaonem seipsum & cor suum indurasse, nec Ministros DEI audivisse, quemadmodum Dominus dixerat. Conf. etiam i. Sam. 6. 6. & alia loca, in quibus homines seipsum indurasse dicuntur, ut: prov. 29, 1. Hebr. 3. 8. 2. ex proprietate linguæ sanctæ, ut & ipsius Grammaticæ; ubi verba conjugationis Piel & Hiphil nō semper efficacem actionem aut approbationem, sed & permissionem & concessionem, ac in bonū finem ordinationem quandoque significant, ceu patet ex locis, Ex. 1. 17. Deut. 20, 16. Jos. 2, 13. cap. 6. 25. Judic. 21, 14. Idem etiam respondendū ad (B) seu alterū objectionis membrum. Quando enim DEUS ad Pharaonem dicit: *in hoc ipsum excitavi te, ut ostenderem in te potentiam meam, ut annuncietur nomen meum in tota terra*: non dicit, *in hoc te excitavi, ut indurarem tibi cor, ut in te malitiam crearem, & sic in & per te peccarem*; sed in hoc te excitavi, *ut in confusione tua ostenderem potentiam & gloriam meam*. Et, licet te, primo mandato meo refragantem, legatisque meis te opponentem, statim è medio tollere potuissem, tamen *העמדתי* stare te feci, superstitem esse permisi; idque eo fine, ut ostenderem, quod te similibusque tyrannis aliis longè firmo-  
poten-

potentior, injuriamq; mihi mihiq; charis illatam strenuè vindicare velim. Ex his & similibus paret injura, DEO illata, nec non gravissima illa accusatio, quâ Deum peccati autorem faciunt; quam, licet, ut à se suisq; contribulibus averterent, anxie quidam, ceu Calvinus lib. 1. instit. cap. 18. & lib. 3. c. 23. Paræusq; & alij laboraverint, expressissimisq; verbis protestati fuerint, se non docere, DEUM autorem peccati; tamen protestatio facta est contraria: quod ex scriptis, & horrendis illorum hypothesibus liquet. Rejectis igitur falsis & turpibus adversariorum opinionibus, restat, ut nostram, & quidem veram de peccati causis proferamus sententiam: Dicimus ergo, quòd causæ sint vel *extra nos*, quarum aliæ sunt (1.) causæ per se, ut: Diabolus impellens, suggerens. Gen. 3. Joh. 8. 44. cap. 13. 2. Act. 5. 3. quin & homo variam peccandi occasionem præbens, uti Eva Adamo, Gen. 3. 6. mulieres Salomoni, 1. Reg. 11. 4. Nebucadnezar subditis, Dan. 3. 1. 2. 3. (2.) aliæ per accidens; quales diei possunt: (a) lex DEI, quæ quidem in se sancta est & bona; nec ei id tribui potest, quatenus à DEO pendet: sed quatenus eâ homines abutuntur, eiq; repugnant: quippe qui illo suo abusu ac inobedientiâ eam mutant in medium sive objectum, per, juxta & contra quod peccent: cùm sine lege peccatum non committatur, Rom. 4. 15. ut ita fiat per accidens medium & objectum, circa & contra quod peccetur. (b) objecta in sensus incurrentia, & appetitum irritantia, ut ibi pomum jucundum adipectu, Gen. 3. 6. ex improvisò Davidi in oculos incurrens Bathseba; 2. Sam. 11. v. 2. (c) otium, mollities, omniumq; rerum abundantia, Ezech. 16. 49. vel *intra nos*; & quidem 1. remotè & ad peccatum inclinans causa est naturæ pravitas, corporis & carnis infirmitas, vid. Eph. 2. 1. 2. 3. Math. 26. 41. 2. Proximè peccatum efficiens est voluntas hominis, præstigijs Diaboli fascinata, & ad obsequium ejus promptissima 2. Cor. 4. 4.]

### APHORISMUS III,

Peccatum aliud est primum, aliud originale, aliud actuale.

Peccatum  
primum  
seu protoplastorum.

[ Hæc distinctio, uti ortu, ita cognitione merito prior: in qua considerabimus I. peccatum primum seu protoplastorum in paradiso primò commissum. Ubi, ne primos parentes nostros peccati falsò

falsò arguere, proindeq; aëra, discursum de illius quidditate insi-  
zuentes, incerti tamen de existentia, cædere videamur, quærimus:  
An illi, comedendo de fructibus ex arbore scientiæ boni & mali, *an sit?*  
peccaverint? Quæ quæstio, licet otiosa videri posset alicui, præser-  
tim cum id scriptura sacra, ineffabilisq; per lapsum illorum in nos  
derivata miseria satis superq; testetur, illam tamen humana temeri-  
tas tractat, contrariumq; ex scriptura minùs rectè intellecta affir-  
mat; uti videre est ex lib. 3. de amiss. grat. Bellarm. ubi asserit, primos  
parentes neque peccâsse, neque peccare potuisse; imò, ne tentatio-  
ni quidem, quæ ad peccandum induceret, ulla ratione obnoxios fu-  
isse; idque ex hoc fundamento, quia justo lex non est posita. Jam  
verò, cum primi parentes in paradiso degentes omnium consensu  
fuerint justî, id ex hoc Lutheranorum principio aptissimè deduci,  
ait. Verùm respondemus, negando, quod id aptè fiat: nam (1.)  
Apostolus h. l. non loquitur de lege ante peccatum lata, sed de lege  
post peccatum, per Mosen promulgata. (2.) Sensus hujus dicti non  
est; quod justo simpliciter lex non sit posita, sed saltèm quòd fulmi-  
ni & rigori illius contemnatorio justus non sit subjectus: non ex-  
clusis interim reliquis legis usibus, quales sunt: accusare peccatum  
in natura hærens, & renatis regulam vitæ præscribere. Postquam  
igitur de primorum nostrorum parentum peccati existentia certio-  
res redditi sumus, inquirendum jam erit in illius quidditatem: Est  
autem illud *ἀνομία*, à protoplastis, liberâ voluntate, & Diaboli sol- *quid sit?*  
licitatione, similitudinem cum DEO affectantibus, fructusq; vetitos  
gustantibus, commissa, quâ imaginem DEI amiserunt, & reatum  
mortis incurrerunt. *Ανομία* in hac definitione rectè loco generis  
poni, manifestum est ex ipsius DEI verbis, Adamo omnium fru- *Gen. 2, 16.*  
ctuum usum permittentis, at fructuum ex arbore scientiæ boni & *17.*  
mali usum & esum strenuè & cum mortis interminatione prohi-  
bentis & interdicens. Differentia consistit in sequentibus: Causa  
ejus efficiens est vel remota, nempe Diabolus, hominibus felicitatem  
invidens, eosq; ad mandati divini transgressionem sollicitans;  
vel propinqua, scilicet homo; cui jam creato, uti nulla imperfectio,  
ita multò minùs ad malum, & quidem propriè dictum, h. e. morale  
inerat inclinatio: Sed sufficientibus donis ad resistendum Diabolo  
instru-

B

instru-

Peccatum  
originale

An sit?

instructus, liberâ voluntate, nullâ vi vel necessitate coactus, mandatum divinum transgrediebatur. Hanc transgressionem secuta est ingens malorum llias, quæ omnia per mortem indignantur, Gen. 2, 17. conf. cap. 3. v. 3, 7, 8. 16, 17, 18, 19, 24. II. Progredimur ad considerationem peccati originalis, quod differt à protoplastorum lapsu eò, quia illud est originans, hoc verò originatum. Deinde & hîc observandum, quod nominetur originale, non tanquam trahens originationem à mundo, neq; à natura humana, sed (1.) respectu principij, quod est Adam, à quo, tanquam communi origine, in omnes hæreditario jure derivatur. (2.) ratione effecti, quia actualia peccata se habent, ut effecta ad peccatum originale. (3.) ratione subjecti, quia cum homine nato statim propagatur. Hic iterum quærimus; An sit peccatum originale? vel: an ab Adamo per carnalem generationem aliquod verè & propriè dictum peccatum in posteros derivetur? Cum Pelagio, Anabaptistis, in colloq: Frankent. art. 4. pag. 230. & seq. & alijs, negarunt id Photiniani, qui in Catech. Racov. pag. 285. *διὰ πρῆδην* peccatum originale negant; imò asserunt, ne Adami quidem dona naturalia per peccatum corruptum: potuisse, nedum posterorum. Et pag. 280. *Concludimus igitur*, ajunt, *prorsus non esse peccatum originis*. Sed contra hos agentem sententiam probamus: i. à lavacri *ἀνακαθάρσεως καὶ πάλιν γενεσίας* omnibus necessariâ usurpatione; ubi omne genus peccati aufertur, ut ait Origenes homil. 15. in Joh. ubi insuper renascimur filij DEL, ex aqua & spiritu, Joh. 3, 5. c. 1. 13. ubi denique justitia & sanctitas deperdita incipit restaurati, & homo renovari in agnitionem secundum imaginem ejus, qui creavit illum, Col. 3, 10. & transformari in pristinam imaginem, 2. Cor. 3. 18. Eph. 4, 23. Frustrâ verò hîc est Calvinus, excipiens, *propagationem peccati originalis à se non negari, sed hoc tantum doceri, quod fidelium liberi pertineant ad fœdus gratiæ, etiam ante baptismum*; Nam esse naturâ filium iræ, & tamen gratiæ divinæ participem, involvere repugnantiam, quis non videt? Deinde, quod hic urgetur fœdus DEL, promittentis, se fore seminis etiam fidelium parentum DELUM, Gen. 17. 7. & seq. frustra sit, promissio enim illa non est absoluta, sed conditionata, si nimirum circumcisi fuerint, v. 9. 10. Liberi igitur fidelium non nascun-

lib. 4 Inff.  
e. 15. sect. 22

nascuntur sancti sanctitate interna, seu interiore cordis munditie,  
 in peccatis enim concipiuntur Psal. 51. 7. sed fiunt demum sancti; u-  
 bi olim circumcisi, nunc baptizati, fuerint; 2. à concupiscentiâ in  
 renatis reliquâ; qui, licet delicta voluntaria sedulo devitent, con-  
 queri tamen nihilominus habent cum Apostolo, Rom. 7. 17, 20.  
 quod peccatum in ipsis habitet, h: e. non transeat, sed fixam in car-  
 ne habeat sedem. 3. à Scripturâ & ipsorum Sanctorum attestatio-  
 ne. Apertè enim de peccato originali testatur David: dum de-  
 fe ait: *אמי וחמתי ובחטאי וחוללתי* in ubi notetur  
 vis linguæ, quæ habet: in iniquitate calefactus sum, & in peccato in-  
 caluit (a) me mater mea; quasi dicat, statim à conceptione sibi inti-  
 mè adhæsisse peccatû. 4. à communi mortis perpeffione; à qua ne-  
 mo hominum, ne infantes quidem modò nati, excipiuntur. Jam ve-  
 rò mors est poena & stipendium peccati. Et illa tantum anima mori-  
 tur, quæ ipsa peccavit. Pro hac sententia, facit etiam Gen 6. 5. Job.  
 14. 4. Joh 3. 6. Rom 5. 12. Brevibus hisce evictâ peccati originalis ex-  
 istentiâ, subjungenda erit illius definitio, quæ talis: Peccatum ori-  
 ginale est totius humanæ naturæ, per protoplastorum, concreatâ  
 justitiâ spoliata, corruptio, ab eis, per carnalem generationem, in  
 hominem propagata, faciens reum æternæ iræ mortisq; nisi inter-  
 veniat regeneratio. III. Restat in hoc aphorismo, ut agamus de  
 peccato actuali. Quotidiè ergo nos in peccata prolabi plurima,  
 negare nemo poterit; & ita quidem, ut delictorum multitudinem  
 etiam non intelligamus, semperq; opus habeamus, cum Psalmista  
 gemere: ab occultis munda me Domine. Et hæc sint fructus prio-  
 ris seu originalis peccati. Uti enim ex fonte venenato venenata  
 scaturiunt aquæ, Jer. 6. 7. ex amarâ radice amarities in ramos pro-  
 truditur sursum, Hebr. 12, 15; ex mala arbore mali proveniunt fru-  
 ctus, ita quoque ex innata cordis pravitate, velut ex radice amaris-  
 sima & fonte venenato innumera peccata procedunt, Matth. 15.  
 19. malæ arboris fructus pessimi: qui usitato nomine appellantur  
 peccata actualia: aliàs opera carnis, Gal. 5. 19. opera infructuosa  
 tenebrarum, Eph. 5. 19. actiones veteris hominis, Col. 3. 9 opera  
 mortua, Hebr. 6. 1. c. 9. 14. Definimus autem peccatum actuale  
 hunc in modum: Peccatum actuale est *ἀνομία* quâ quis legem

Psal. 51, 7.

Gen. 2, 17.

Rom. 6, 23.

Ezech. 18,

19.

quid sit?

Peccatum

actuale?

an sit?

Psal. 19, 13.

quid sit?

DEI

DEI transilit, cum reatu æternarum & temporalium pœnarum.  
Vel juxta August: Est omne vel factum, vel dictum, vel cogitatum,  
vel concupirum contra legem DEI, quo malum committitur, vel  
bonum omittitur.

#### APHORISMUS IV.

### Peccatum aliud est mortale, aliud veniale.

[ Hanc distinctionem peccati in mortale & veniale Beza tota-  
liter, nullius quidem momenti rationibus, improbat, uti legere est  
in resp. ad act. Colloq. Mompelg. pag. 73. etiam contra suos contri-  
bules: Martyrem in Loc. comm. pag. 334. Musculum in loc. p. 65. 66.  
Bucanum in instit. p. 182. Polenum in partic. p. 59. Concedimus qui-  
dem & nos, strenuèq; affirmamus, esse omnia peccata ratione sui  
& ex naturâ suâ mortalia, id est, talia, quæ mortem temporariam  
merentur ac æternam; idq; ex sacrarum literarum testimoniis, (1) cu-  
jusvis peccati pœnam esse mortem & maledictionem, probantibus,  
utpote Deut. 17, 26. Gal. 3, 10. Ezech. 18. 4. Rom. 6. 23. Jacob. 2, 10.  
(2) etiam minimorum divinorum mandatorum transgressionem  
è regno DEI excludere, docentibus, sic subiti iræ motus, Matth. 5, 22.  
ad spectus libidinosi, v. 28, ignis infernalis reos faciunt homines;  
Fiunt autem venialia, ratione effectûs consequentis, veniamq; pro-  
merentis, dum homo peccatis hujusmodi, videlicet infirmi-  
tatis, ignorantix pravisque concupiscentiis, per Spiritûs Sancti  
gratiam resistit, carnem cum concupiscentiis crucifigit, serioque  
cordis dolore, seriâ pœnitentiâ, & verâ fide ad Christum acce-  
dit, illorumq; in eo remissionem quærit. Et tunc id, quod suâ na-  
turâ, & per se mortale est, renatis ex gratia DEI, dum condonatur,  
fit veniale, juxta illud Rom. 8, 1. Nulla condemnatio est in his, qui  
sunt in Christo Jesu. Rationes autem, quibus huic distinctioni por-  
rò locum conciliamus, eamq; retinemus, hæ sunt: (1) quia in scri-  
pturis fundatur; (2) quia patres illâ usi sunt. Vid. Tertull. in lib. de  
pudicit. (3) quia rem exprimit; Quæritur enim: Num omne pec-  
catum mortis reatu personam obstringat? quod uti negatur, sic  
optimè distinguitur inter peccata mortalia & venialia: nequa-  
quam verò suâ naturâ, sed quod DEUS credentibus ea remittat, ta-  
literq; peccantem veniâ dignetur. (4) quia rei abusus non tollit.

REM

rem ipsam. Licet enim Pontificij vocabulis istis abutantur, in sano tamen sensu retineri possunt. Est autem peccatum veniale ἀνομία, cui renati Spiritus S. virtute resistunt, ne desideria carnis perficiant. Vocari aliàs solet peccatum involuntarium, non-regnans, non-peccans, infirmitatis. Peccatum mortale est ἀνομία, quam caro, desiderijs suis indulgendo, perpetrat, mortemq; promeretur. Et hoc aliàs nominatur peccatum regnans, conscientiam vastans, voluntarium.]

APHORISMUS V.

Peccatum aliud est in Filium hominis, aliud in Spiritum Sanctum.

[Hanc distinctionem nobis ipse Salvator suppeditat, quando 1. blasphemiam communem & βλασφημίαν τῷ πνεύματι ᾧ ὀ-  
 ponit; & sic 1. inter peccata κατὰ τὴν ἡσυχίαν τῷ ἀνθρώπῳ & peccata  
 κατὰ τὸ πνεῦμα ᾧ τῷ ἀγίῳ discrimen constituit, ceu patet ex dictis in margine allegatis. Agendum I. de peccato in Filium hominis, quod est doctrinæ Evangelicæ, vel nondum agnitæ, per ignorantiam oppugnatio; vel jam agnitæ, ex infirmitate, & metu periculi, sine ulla tamen ejus hostili blasphemia, abnegatio. Exemplo sunt D. Paulus ante conversionem, & Petrus in abnegatione; Ille enim veritatem Evangelicam nondum agnitam, per ignorantiam, oppugnabat, 1 Tim. 1.13. iste metu periculorum territus, sine ulla tamen hostili blasphemia, illam abnegabat; ceu patet Matth. 26, 70. & seqq. II. de peccato in Spiritum S. ubi, anrequam in ejus essentiam inquiram⁹, videbimus, quâ ratione dicatur peccatum in Spiritum S. Fit autem illud (1) non ratione essentia, quia & in Patrem & Filium committitur, qui ejusdem cum Spiritu S. sunt essentia. (2) nec ratione personæ, in se & per se considerata. Sed (3) ratione officij & beneficij ejus recusati, quod scilicet fiat contra officium, imprimis Spiritui S. sacrum, quo hominum corda illuminat, eaq; per verbum & sacramenta convertit. His cognitjs, ad definitionem illius progredimur, quæ talis: Peccatum in Spiritum S. est (α) voluntaria (β) agnitæ (γ) veritatis abnegatio, abnegatæ (δ) blasphematio, & (ε) blasphema conculcatio, (ζ) obdurata deniq, cum finali impoenitentia

Matth. 12,

31, 32, 33.

Marc. 3, 28

29.

Luc. 12, 10.

peccatum

in Filium

hominis.

peccatum

in Spiritum

Sanctum.



nitentia omnium omnino salutis & conversionis mediōrum & remediorum rejectio. Hæc sunt, quæ ad constitutionem hujus peccati requiruntur, & quidem non seorsim, sed conjunctim sumta: nam, si unicum istorum requisitorum defuerit, peccatum in Spiritū S. nec dici debet, nec meretur. Requiritur ergo (α) ut talis peccator ἐκείσταις, sponte & voluntariè, sine ullâ coactione veritatem Evangelicam abnegaverit. Ubi excluduntur illi, qui aut tormentorum gravitate compulsi, aut dolosis hæreticorum verbis circumventi, aut ex quorumvis aliorum periculorum metu, illam abnegant: unde etiam, nisi post modum voluntariè in blasphemia permanferint, veniam peccati cum Petro consequi possunt. (β) ut fecerit istud μετὰ τὸ λαβεῖν τὴν ἐπίγνωσιν τῆς ἀληθείας, h. e. certam, perfectam & sufficientem veritatis cognitionem habuerit, & in conscientia convictus fuerit, veritatem divinam esse certissimam. (γ) adfuisse insuper oportuit cognitionem veritatis Evangelicæ; nec hic attenditur vita moreve flagitiosi; quod patet 1. ex Epistola ad Hebr. c. 10. 28, 29. ubi luculenter blasphemia Spiritūs gratiæ distinguitur à peccatis, quæ in legem Moſis vitâ flagitiosâ committuntur. 2. quia pharisæi, non ob mores aut impiè actam vitam, à Christo hujus peccati rei agebantur, sed propterea, quòd videlicet ejus doctrinam & miracula, repugnante conscientiâ, proterve calumniarentur & impugnant; ceu videre est Matth. 12, 31. & seq. (δ) Necesse etiam est, ut id fiat cum blasphemia, uti patet ex Hebr. 10, 29. ubi peccatores isti dicuntur τὸ πνεῦμα τῆς χάριτος ἐνυβρίσαντες, & cap. 6. 6. Filium DEI παραδειγματίζοντες; quid autem sit παραδειγματίζειν, patet, nempe ignominia vel ludibrio, & quidem palam exponere: quomodo etiam usurpatur de Josepho, Matth. 1, 19. ubi dicitur, quod Mariam uxorem suam noluerit παραδειγματίσαι, id est, infamare, ignominia exponere. (ε) blasphemiam conculcationem etiam esse essentielle hujus peccati requisitum, probatur itidem, ex Epist. 10, 29, ubi talis peccator dicitur πῶν ἦν τὸ θεὸν καταπατήσας, id est, Filium DEI conculcans. Quò non tantum indigitatur talis conculcatio, quæ fit pedibus, seu ferro, manibus ac armis, sed & talis, quæ fit ore, corde, calamo. (ζ) ultimum deniq; requisitum

quod est finalis impenitentia, omniumq; salutis & conversionis me-  
diorum & remediorum rejectio, uti etiam videre est ex Epist. ad  
Hebr. 6. 6. cap. 10, 29. ubi dicitur, quod tales homines Christum  
rursus crucifigant, Filium DEI contumeliant, & sanguinem foederis  
profanum ducant, i. e. verum salutis medium & remedium, vere  
bum scil. Filij DEI, sanguinemq; foederis rejiciant & contemnant;  
quod videmus in pharisais, Christum, ipsos in veritatis viam duce-  
re volentem, contemnentibus, ipsumq; una cum verbo suo contu-  
meliose tractantibus. Ex hisce profuunt haec consuetaria: I. Pec-  
catum in Spiritum S. est irremissibile] quia videlicet (1) omnia sa-  
lutis & conversionis media & remedia directe impugnat rejicitq;  
(2) cum extrema cordis induratione, & finali impenitentia conjun-  
ctum est. Non ergo peccatum hoc simpliciter irremissibile dicitur,  
quasi in se & sua natura tale esset; alias enim gratia DEI non exu-  
beraret super omne peccatum, Rom. 5. 20. sed secundum quid, ceu  
ex rationibus antea citatis patet. Nec irremissibile est, propter aeternam  
reprobationem aut absolutum decretum, uti Calviniani vo-  
lunt, sed propter impossibilitatem poenitentiae: est enim impossi-  
bile, hujusmodi homines ad poenitentiam redire, cum ad naturam  
hujus peccati finalis perseverantia requiratur. II. Peccati in Spi-  
ritum S. non temere quisquam est insimulandus] quia nos non  
sumus *καρδιογνώσται*, proindeq; incerti, an talis homo in hac agni-  
tae veritatis abnegatione, & hostili impugnatione ad ultimum usq;  
vitae habitum obstinate sit perseveraturus. Difficile igitur, imo im-  
possibile est, agnoscere peccatum istud a priori, cum non nisi cum  
finali impenitentia, quam a posteriori agnoscas, necessum est, sit  
conjunctum. Fieri enim potest, ut quis in Spiritum S. peccare no-  
bis videatur, qui tamen sub finem poenitentiam agat; quod factum  
videmus in Manasse, conferendo cap. 21. lib. 2. Reg. cum 2. paral. 33.  
12. Si vero essentialia ad hoc peccatum requisita omnia, conjun-  
ctim & infallibiliter, in aliquo inveniuntur, ut 1. in pharaone, 2. pha-  
risais tempore Christi, 3. Pharisais & judais tempore Apostolo-  
rum, praesertim Stephani, vere eos Act. 7. depingentis, peccati in  
Spiritu S. rei vocari possunt; cum manifesta fuerit illius obstina-  
ta in malitia perseverantia; isti vero ab ipso Christo, qui est verus  
*καρδιογνώστης*, hujus peccati rei declarati fuerint; hi deniq; a viro  
fide

fide & Spiritu S. pleno? Et hic jam subsistimus. Gratias ex imo corde profectas Christo Salvatori nostro agentes, quod nos, Diabolo propter peccata captivos, sanguine suo pretiosissimo, è captivitate redimere voluerit. Illum porro supplicibus votis ac suspiriis veneramus & imploramus, ut Spiritus S. gratiam nobis ex alto largiatur cujus auxilio de præteritis veram pœnitentiam agere, & in posterum non solùm peccatum istud gravissimum, sed & alia omnia cane pejus & angue fugere, in præceptis ipsius incedere, ad cœlestem patriam, in vera pietate, contendere laboremus, atque possimus, dum Spiritus hos reget artus!

### COROLLARIA.

1. Nam nihil habeat peccati proprie dicti rationem, quod non est voluntarium? Neg.
2. An peccata sint paria? N.
3. An Adam proprie seductus fuerit? A.
4. An primi hominù peccatum fuerit peccatorum omnium gravissimum? A.
5. An B. Virgo Maria sine peccato originali concepta fuerit? N.
6. An DEUS decernat, & velit aliqua peccata, saltem quatenus aliorum peccatorum pœna sunt? N.
7. An renati peccatis suis amittere possint gratiam DEI, fidem, & Spiritum Sanctum? A.
8. An peccatum originale sit ipsa hominù substantia? N.

Res est magna, suæ Naturæ crimina nosse;  
Sed major Christi sanguine nixa Fides;  
Hæc etenim solùm (res est notissima Paulo)  
Damnandis donat cœlica regna malis.  
Ecce, prius docuit tuus hic discursus opimus;  
Posterius pietas: Ergo beatus eris!

Morù, Honorù & Amicitia E. scrib.  
M. HECTOR CONRADI, Ulz. Lunæb.







sum est finalis impoenitentia, omniumq; salutis & conversio-  
diorum & remediorum rejectio, uti etiam videre est ex  
Hebr. 6. 6. cap. 10, 29. ubi dicitur, quod tales homines Ch-  
rurus crucifigant; Filium DEI contemnent, & sanguinem  
profanum ducant, i. e. verum salutis medium & remedi-  
um scil. Filij DEI, sanguinemq; foederis rejiciant & conte-  
quod videmus in pharisais, Christum, ipsos in veritatis via  
revolentem, contemnentibus, ipsumq; una cum verbo suo  
meliosè tractantibus. Ex hisce profuunt hæc consecraria:  
catum in Spiritum S. est irremissibile] quia videlicet (1) or-  
lutis & conversionis media & remedia directè impugnat  
(2) cum extrema cordis induratione, & finali impoenitentia  
tum est. Non ergò peccatum hoc simpliciter irremissibile  
quasi in se & sua natura tale esset; alias enim gratia DEI in-  
beraret super omne peccatum, Rom. 5. 20. sed secundum q  
ex rationibus antea citatis patet. Nec irremissibile est; prop-  
nam reprobationem aut absolutum decretum, uti Calvin-  
lunt, sed propter impossibilitatem poenitentia: est enim i-  
bile, hujusmodi homines ad poenitentiam redire, cum ad  
hujus peccati finalis perseverantia requiratur. II. Peccat-  
ritum S. non temere quisquam est infimulandus] quia no-  
sumus *καρδιογνώστης*, proindeq; incerti, an talis homo in hæ-  
tæ veritatis abnegatione, & hostili impugnatione ad ultimam  
vitæ habitum obstinatè sit perseveraturus. Difficile igitur, i-  
possibile est, agnoscere peccatum istud à priori, cum non  
finali impoenitentia, quam à posteriori agnoscas necessum  
conjunctionem. Fieri enim potest, ut quis in Spiritum S. pec-  
bis videatur, qui tamen sub finem poenitentiam agat; quod  
videmus in Manasse, conferendo cap. 21. lib. 2. Reg. cum 2. p.  
12. Si verò essentialia ad hoc peccatum requisita omnia, e-  
ctim & infallibiliter, in aliquoveniuntur, ut 1. in pharaone  
risais tempore Christi. 3. Pharisais & judais tempore Ap-  
rum, præsertim Stephani, verè eos Act. 7. depingentis, p-  
Spiritum S. rei vocari possunt; cum manifesta fuerit illius e-  
ta in malitiâ perseverantia; isti verò ab ipso Christo, qui  
*καρδιογνώστης*, hujus peccati rei declarati fuerint; hi deni-

